Petrus

... Lucae Jos. Panegyricus Illmo et Mgco D. D. Petro de Bnin Opaleński, Palatino Lanciciensi.

PANEGYRICVS
JLLVSTRISSIMO
&
MAGNIFICO DOMINO
D. PETRO
de Bnin
OPALENSKI,
PALATINO LENCICIENSI,
MAIORIS POLONIÆ
GENERALI,
CAPITANEO MEDIRECENSI &c. &c.
Primo Augusti Ingressûs sui ad Generalatum die,
Jnter Votiuos Maioris Poloniæ,
Jnter Festiuos Posnaniensis Civitatis
applausus
AB ACADEMIA LVBRANSCIANO-POSNANIENSI,
Per
M. LVCAM JOSEPHVM OSTAWSKI,
Jn Alma Vniuersitate Cracouiensi Philæ Doctorem,
Jn Academia Posnaniensi Pòëseos Professorem,
DICATVS.
ANNO DEI HOMINIS NATI M.DCLXXXIV.

POSNANIÆ.
Jn Typographia Rndi D. ALBERTI LAKTANSKI.

Is honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris viris defertur, & datur: estq; non incitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis præmium. *Cicc: pro Plan:*

Hominis ne istud ingenium est? hominis potestas? renouare gaudia, redintegrare lætitiam, nullamq; requiem gratulationis dare.

Plin: in Paneg: Trã:





Iuuat tot ora NAVIVM *graui*
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atq; seruilem manum
Hoc hoc Tribuno militum.

Horat: in Epod:



PANEGYRICVS.

EXCELSVM gloriæ decus, & titubantis vbiq; fortunæ pacatam in OPALENIA DOMO requiem, cunctis hodie inſpicientibus in Te, Tu ipſe ad feſtiuum Vrbis huius Ingreſſum mihi non infimum meritorum theatrum, quòd ſublime honoris ſolium videris inſcenſurus, prodis venerandus. JLLVSTRISSIME ac MAGNIFICE DOMINE. Etenim inter tot non rotantium annorum curſus, immò nec præterlabentium luſtrorum ſonitus, aſt in tanta ſæculorum ipſorum proceritate quidquid manu fatorum, calculo cæli virtuti cuiuſquam moliebatur, id concatenatum ab ipſo naſcētis Regni Ortu Tuæ Magnæ cùm debebatur Domui, nunc Tibi Maximo jure famulatur. Dudum Polona Virtus ad laxata Ditum atria, in omnis effuſione rabiei Achilleum induta animum, infrangibilem egit; vt cui ceu de ſumma Tonantis Arbitri arce extenſæ Herculis Catenæ tota Magni Imperij moles cōcredita ſteterat: nec tamen altum ſoporata cum Endymione Nominis Tui Magnitudo etiam vnquam delituit, vnquam marceſcebat, Quoties effrenatus ſimul efferatus Oriens Lechico ſtragem minabatur Arctico, quis non altos dederat ſingultus, & Præficas de ſqualidis Cimeriorum vmbris excitaturus, non ſummè ſuſpirauerat? Quoties Moſchouiticus turbo pacatas Patriæ res in Chaos miſcere erumpebat, quoties furibundus Sueticus Leo bene actas confundere partes, arrectas extollebat criſtas; quoties rebellis Coſacorum tumultus Aquilam Noſtram Nido expulſurus, de cauernis, de latebris euolabat; quis non Leſſum canebat Lecho? vbi tamen in ardentis Jlij ſereniorem fortunam

non

non vnus Patriæ cùm curreret Priamus, etiam inter Ciues Regni, inter procellas intumeſcentis belli vbi Auguſtum Domûs Tuæ Nomen maluit primum eſſe, non videri, hîc ſtatim Rebus Sarmaticis clarus illuxit dies. Vidit Auguſta Ales Polona vidit tot ſuaues in Campo hoſtili meti ſibi oliuas, quot rerum poſcebat negotium. Vidit toties palmas ſibi flecti, laurus cedere in triumphum, quoties Bucentaurum Tuam ſanguineũ tranare iraſcentis Gradiui æquor vidit: cui vel inde ſumma gloria, pro Patria cruentari, pro Patria labefieri. Fulminatrices hoſtium balliſtæ, ac rabidorum ſtridentes enſes animorum nunquam non balliſtea cladis occinuêre ſibi, ac Epicedium toties luxêre caſtra, quoties Epicenion exorſa ſunt, dum pro Polo Lechiæ pro Polonia in Martis Campum deſcendentes ſiue truces vt paterentur ictus Magni Nominis Tui Opalenii ſic cædi voluerunt, vt dum ſibi funereas taxos, funeſtaſq; cupreſſos, Patriæ triumphales pararent laurus, parerentq;. Hucuſq; Sagata nunc etiam Togata Domus Tua eò immarceſcibilis proceſsit gloriæ, quo nemini aſcendere datum, niſi Optimo: dum quidquid locorum intra Regni viſcera actum fuerit, totum id vni debeatur. & Inclytus Procerum Ampliſsimorum Senatus, & Sanctæ Conſiliorũ Aræ, adeò Tuis obſequẽtes Jlluſtriſſimæ Domûs meritis, vt nihil honori accedere ſentires nullumque penè duceres, qui non Magnis cederet Opaleniis. Equidem fatigauit non ſemel heròum arma, ipſius etiam Martis vicit audaciam petulantem nouus Diomedes, hæc Virtus Domûs Tuæ, vinxit adamantinis nouus Hercules Nereum catenis, dum hæc calamos, atramenta ſcriptorum, immenſitate & gloriâ vicit. Non tantæ moli, tantis & laudibus Parem ab ortu Regni vidit oculus, qui dum Summa Nomina ſplendida reddat, non ea obtenebret, & Orbi in poſthumam memoriam ea qui ſatagit commendare, non obſoleſaciat. Vtinam verò tanta Majeſtas Tuæ Domûs cum

Xerxe

Xerxe ſibi ſuperbum ſcidiſſet Heleſpontum! vtinam cum Cyro furibundum ſecaſſet Gyndem! ſic per ora ſæculorum in Gentilitia Nauithalmo beatè natatura. Purpureum nacta ad tantam Majeſtatem Tuam Muſa literaria pudorem, hodie verecundum in publico geſtientis Poloniæ theatro meditata eſt actorem, cui ipſa extra vires cogitatio, ſtabit in tragædiā Excedis porro nobiles omnium conatus, omnium et calamos excedis ſolus, qui cùm meritis & honoribus Magni ſanguinis Tui, etiam Tuis proprijs Virtutibus omnem tranſcendis gloriam. Inijcis Magnus Philippides lingvæ Epheſtionis in Tuum feſtinantis Ingreſſum obicē, vt ſic repreſſa magna tenuioribus modis non ſonet, quibus Cecropius debetur cothurnus. Si tamen ſplendidiſsimus Phæbus non eò obſcurior, quòd nube ſqualida obuoluatur, etiam mœſtæ eclipſeos quòd patiatur notam; ſi Auguſtus indè etiam Auguſtior, quòd Ingreſſui ſuo cum effuſa Vrbe Pſittaci Coruiq; applauderent; etiam & inde immenſior Laudum Tuarum diffundetur Oceanus, quòd riuulos torrentis Scholæ noſtræ patiaris Tuum deferre Nomen, Tuæq; Magnæ Domûs; inde ſplendidior aſcenſûs Tui Triumphus, vnde fauentiori aure ſuſcipies Aue imbellis etſi Oratoris AVE AVGVSTE GENERALIS. Abſolues ergo verecundi calami conatum vel hoc ipſo faſtuoſam Pellæi Iuuenis compreſſurus inſolentiam, ac inſolentem Auguſti faſtū confuſurus, ille non pingi cuiuſpiam quàm Apellis penicillo, non ære duci quàm Liſimachi voluit: hic omnium quòd literis pudorem inijceret, niſi eruditiſsimi. Aſcende fortunate Senator, vmbram mihi protectionis daturus; qui vel ideo malui Memnonem hîc calcare, vt modò Te Summum adorem MAIORIS POLONIÆ GENERALEM.

Majeſtatem honoris, quam fortunatis inſcendis paſsibus, non cui publica Civium vota meliùs optare, nec Polonarum Arbiter Rerum JOANNES III. Rex

Noster cuiquam diplomate Regio conferre potuit, nec calculus Cæli in partes cuiuspiam candidior dari sine dispendio iusti, quàm in Tuas Magne GENERALIS. Augustum namq; Nomē Tuū non inter modò hodiernas ardentis solis ferias, nec dum Iani clauduntur ostia tantùm augustum, etiam, vnde laudis Tuæ prima ratio, inter bacchantis rabiemq; rebus Polonis evomētis Gradiui classica, idem Magnum, meruit & in obsoletæ ætatis senio nouâ insigniri commendatione, quod semper hostiles calcans turmas, semper Patriæ providens saluti, sibi magnos mancipabat meritis honores. Inclinantur plerisq; excelsa dignitatum culmina, sed ipsa grauata Cræso. Multi in augem publicæ felicitatis euehuntur non alijs, quàm fauoris alis. Sternuntur quibusdam in excelsum Nominis thronum cum Perseo Rosæ, sed non calcantibus sæpè tribulos. His offertur insigne laudis, illis non morituræ gloriæ, vtrisq; crebrò non emeritum: Tibi vel inde maximè, cùm, quibus insignitus procedis, cuncti honores, etiam Supremum Majoris Poloniæ fastigium GENERALATûs jure famulari fas sit prædicare, quòd non in Templum honoris priùs passum direxisti Tuum, quàm virtutis: vt dum Antiquissimâ Magni Nominis Domo commendaris, etiam proprijs nitescas virtutibus. Ascendis hodie in summæ gloriæ Posnaniensis Capitolium non alijs gradib⁹, quàm virtutis, quàm meritorum; vt cùm Dionisius et exanguia vinctorum victorumq; hostium Gabræ ac Brasiræ cadauera sibi sternat triumphaturus, Tibi sese ipsa sternant merita, vt his sternantur honores.

Calamos hic scribentium præuolat primò ipsa Vetustissimæ Domûs Tuæ merita, quæ cum Polona Alite assurgentia, in summam nunc excreuêre gloriam. Agāt auidi ipsius Nominis inter se furias Scythæ, Ægyptij; & antiquitatem gentis vtriq; ambientes, contendant: adhuc sub judice lis est; nec ortiuum splendorem adeò diffundent, vt non ille eclipsetur, vbi tertium quisquā

excita-

excitabit æmulum, Solius inclytæ Proſapiæ Tuæ encomium, ea in Orbis memoriâ aſſurgere ac eniti antiquitate, cui nec præſens ſat eſt atramentum, niſi hoſtium notetur cruore: nec prior adæquat eam ætas, niſi in ea deficiat priùs. Necdum tabularia implebantur tabulis, necdum folia ſcribentibus cedebat, necdũ pergameni atque papiri inclaruerat ratio, & jam Antiquitate commendabilis Argo in Maximi honoris Inſulas meritis glorioſè feſtinabat. hoc ipſo inſipientes in ſapientia Muſæ, Tuæ inimicæ NAVI, quod literas necdum Polonis conceſſerãt oris, hoc vel ſummè barbaræ, dum barbaris ſeruiebant. Sæua Clio! quæ Domûs currentis Onerariæ fontem graphicâ Tua non coronaſti manu, vel imbecillitatem fateri hîc coacta ne Magna obſcurè laudares: vel illius prioritatem, Tui poſteritatem eò confeſſa, vt ſic nec Principium bene merendi habens, huic etiam nec Metæ nec Tempora honores capiendi ponerẽtur. Rude ſæculum & clara Lechi ſoboles inclara, quæ non priùs multorum venerata eſt, deditq; venerationi Nomina, antequam in grandes abiêre titulos. Ita ſanè expers conſilij mole ruerat ſuâ, quæ & expers literis, id verecundo & meritò certè ingemuit geminauitq; ore. jam OPALENIANAM Domum excreuiſſe in altum, dum prima de Athenis in Septemtrionalem zonam Muſarum proſcriptio foret. Sacrati Ioui Alitis Majeſtas, non cedrinos petit apices, vt perennet in Nido fortunata: nec euectos in ſublime Atlantum vertices quærit, quin Olympum gloriâ Celſitudinis tranſcendat; ſola hæc primæue ejus dignitas Fortunam in diſtento guloſi temporis ore non alibi ſituare, nec alibi nidum ſternere ſuum primò, quàm in Gentilitia NAVI Tua, vt quidquid priſtini Nominis detur illi, huic totum cedat in Hecatomben. Superbit me hercule Jlluſtriſsima Domus Tua, eâ Nobilis gloriæ antiquitate, quam mirari modò, dum non imitari alijs licet: cùm eodem paſſu, quo Aquilæ inclytum ceſ-

ſit Po.

ſit Poloniæ Regnum, ſimul eidem ceſsit in gloriam antiquitatis Domus Tua.

Auguſtos honorum thronos, & vel ipſos dignitatū genios in vmbra venerentur pleriq; , qui molliores induti Sardanapalos verentur in Patriæ commodum ſi non inire, tentare ſaltim pericula. Aureum per latepatentem àëra vinciant ſibi cum Fortuna Æolum, quiqui eò caram penſitant ſalutem, vt Diogenis inhabitantes dolium, communis integritatis non curam, preſſuram verò meditantur. Non Quirini Metropolis Catilinæ conſulares nectit faſces, quem facem tumultûs Vrbis, & ferūentium irarum incitamentum Orbis intellexerat. Nec Clodio debetur majeſtas: nec Verri conceditur ſumma poteſtas, ei inceſtuoſo, huic depeculatori, ambobus extremæ ſortis, vtriq; mali nominis. Miloni infenſus Senatus, nec fauet Syllæ: ille pollutus ſanguine, nec hic purus: vt ſic vltra Sauromatas fugiant, quiqui Curios ſimulant Bacchanalia tamen viuūt. Solius non curis exantlatæ, nec tot ſudoribus emaceratæ feruidæ immo virtutis in Mario, in Coclite, in Scipionibus & decus, & honor, eam adire gloriæ Augem, quæ nemini, niſi Maximis famulatur. Magnitudinem Majeſtatemq; honorum, quæ Antiquiſsimæ in Jlluſtri Domui Tuæ Cælorum decreto, Senatûs calculo, Principum Regumq; noſtrorum Prudentiâ, inſertæ ceſſerunt, ſanè non in Cimmerijs tenebris ſepultas nec Perſico obtectas velamēto, Orbis & Polonus & vniuerſus vidit: quum Phæbi irradiatæ fulgore cunctorum ambiant ambigantq; notitiā, niſi ophthalmiam Homeri quiſquam patiatur. Quidquid honorum eminentiſsimorū, honorificorumq; defertur muniorū Poloniæ, nihil non Domui Tuæ; in cuius immenſam perennitatis gloriam ſacræ Antiſtitum ceſsêre tiaræ; cui ſollicita Abbatum ſeruiuêre peda, trabeatæ Senatorum delatæ curules, inclyta Mareſchalcorum abiêre ſubſellia, Inciſorū, Dapiferorum, Pocillatorum Regni oblata munia, Arcana

Succa-

Succamerariorum concredita gazophilacia, Veneranda Legatorum obuenêre caducea, ſublimia Iudicum inclinata ſunt tribunalia, ſuprema GENERALATûs obtigit dignitas, vt non mirari Amaltheam, nec Troianam in ſtuporem vocare deceat machinam, vbi omnis honorum Patriæ ſumma pleno curſu in Domum deflûxit Tuam.

Nec debuit luxurioſum in Panegyrim Tuam bibere ſtylum calamus, quem Nomē ſolius Tui & decet & juuat coronare MAGNE SENATOR: vbi tamen Poſnanienſi Orbi hodie ad Ingreſſum Tuum illuſtris Tua inclareſcit Virtus, vt Polono etiam mundo Poloq; celſior OPALENIÆ Majeſtatis aſſurgat gloria, cineres etiam Sacrorum hîc loquantur capitum. Conducet illos remotiſsimâ antiquitate obtectos, ſilentio vindicare: & pace beatâ quietos miſcere Tuis laudibus, vt tantò latior Ingreſſui Tuo ſternatur via. Sanè ſi Memphim, ſi elinguem indueret Athym non jam officioſa Muſa, ipſa Hiſtorialis Clio, ne tiaratos Pontifices OPALENIOS albo notaret pigrum ſæculum calculo: & pompoſam auctoritatem grandi vt obrueret ſilentio, de Roſtris Senatûs Apoſtolici Principis Cymbæ peroret in Quadro Diœceſis. Steterat in CVIAVIENSI Petra ipſe PETRVS de BNIN, vt irruentibus Stygijs procellis ſcopulus fieret ac naufragium. Allidas efferatos impetus rabioſe Cerbere Petræ Apoſtolicæ, eludes conatus, pro qua Cælum militat, militat Petrus. Cædere minaris ſacratos Ouilis Chriſti Agnos cui cedere GERARDVS PETRVSve bini Diœceſis huius Antiſtites imperant OPALENSCII. Gemina in Vladiſlauienſi Firmamento crediſſes Arctois gentibus lumina, illuſtribus Caſtoris Pollucisq; radijs inurentia notam, ſplendori micantis ſyderis inijcientia verecundiam; vt vel maximè, quorum fulgore ipſi mentes Orthodoxorum terrefacientes fulgure Vulcani Iouesque & confundebantur & ſopiebantur. Vidiſſes tunc niſi ſecundiore

Cælo ſtupendo venereris etiam hodie aquas Gentilitiæ Bucentauri Siculas, ad quas infernales titiones, igneſq; volantes, Capræq; ſaltantes, (vt Metheora loquar) Draconeſq; ignẽ vomentes vel ideò extinguuntur, quòd Pſeudoprophetæ Satanæ Lutheri ſint; quòd Lucernæ ardentes in Epicoporum manibus, non remi ſoli: quia ad vtrumq; in manibus Epiſcoporum. Aſſurge in candidiores applausûs feſtiui Panegyres in PETRIS, NICOLAIS, JOANNIBVS, ANDREIS, Tuis Pontificibus, etiam Poſnanienſis Cathedra, & iam Triumphãtibus applaude: Viciſti toties jam tumultuarios hoſtiũ impetus, quoties ſerpentes modò & in herba latentes angues viciſti; bacchantem inſolenter ferum Lutherum dum vinxiſti, ANDREæ OPALENSKI Epiſcopo Tuo id debes. Prouiſum apprime Rebus Poloniæ, dum prouiſum Eccleſiæ; idem qui fulminatrices Prædicãtium Lutheri in Religionem Chriſti manus reprimit, Patriæ ac Sarmatiæ vitam propinat, dum mortem minitãtes, igni adurit. Ignoſcite coronati Principes, Cælo iacitur noſtro Principi corona, vt coronamentum Pontificalis tiaræ ſeptem eſſent Laurus, qui ſeptem dum eripere ſudabat titiones Erebi, non potuit: inferno miſit ſulfuratos. Ignoſcite ignei ſpiritus igneo Antiſtiti, quin huic date gloriam, cuius ſi ſilentio obrueretur Nomẽ, ipſi Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ in ſummo Poſnanienſi, ipſi Eccleſiæ OPALENIANæ lapides, ipſa Cathedræ Poſnanienſis decora in eius reſoluerentur laudem. Siſte gradum ſcindeq; pennas volatui calame, nec adeò ſterile Cælum vt nouos IOANNES, nouas deneget orbi Gratias, hodie Jlluſtriſsimum IOANNEM CASIMIRVM OPALENSKI Majoribus præuiſum meritis quàm indecoratum præmio Culmenſi ac Pomeſaniæ conceſsit Diœceſi. Acclinis pronuſq; Epiſcopale Tuum adoro pedum MAGNE ANTISTES, plenis digne laudibus, qui vltra encomia exuberaſti virtute. Te pro Aris flammeum Eliam, quia Pontificem: pro focis

igne:

igneum Catonem, quia Senatorē, in ſublimes vtroſq; extulit honoris apices JOANNES III. Rex Noſter, vt JOANNI IOANNES reſpondens in Celſiſsimo Senatu Patrem Patriæ, in Epiſcopali Throno Vicarium Chriſti, vbiq; Purpuratus Te Orbi adorandam Gratiam expanderes: hîc feruenti oratione, hîc ſalubribus conſilijs Rebus ſuccurrens agonizantibus. Victus inſigni Tuâ Virtute, compreſſuſq; grandæuis meritis Honor, Tuæ mancipato paſſu rectè ceſsit gloriæ, ceſsit & triumpho. Abbatialis dignitas Te dum ſuum veneratur Bernardum, non pariter meritis Tuis Magnis reſpondere Minor experta, exnunc Epiſcopatum Tibi inclinat Poſnanienſem, vt eius Digniſsimus fieres Coadiutor. Sæculis veneranda, Patriæ peroptanda, Eccleſiæ præſtolanda, rabidis nec minùs rapidis fidei Sanctæ belluis timenda Jlluſtriſsimi STEPHANI WIERZBOWSKI auctoritas, non potuit inter bacchantes procellas hærenti PETRI NAVI meliùs prouidere portum, quàm dū CORONæ GRATIAM iungens, Te Epiſcopatûs Poſnanienſis Coadiutorem elegit, Te ſui petijt Adiutorem, vt ſic languidis Pijſsimi Moyſis dexteris in altum expāſis, Tu Viuacior Aaron ſuſtentandis Atlas prodires. Sed quæ digniſsimo Infulato abſq; Epiſcopali dignitate dignitas? quis honor Magno? & ſol nube tegitur, vt ſplendidior diffundat radios: Oceanus riuulis manat, vt difluat largiùs: Tibi Culmenſis paratur Purpura, ſed niſi priùs ante Abbati, ante Magno, ante Coadiutori. Gaude beata IOANNE Diœceſis, cuius ab ore Tibi gloria, Patriæ naſcitur decus. Orbi Polono in IOANNE GRATIA.

Hactenus Purpuratos in tiara, nunc in curuli OPALENSCIOS veneremur. & hîc Tibi MAGNE GENERALIS impendo laudem, dum Tuis impendo. Expanſam antiquitatis felicitatem in folium contrahere, quæ de Domo Tuâ ei affluebat, nec decet, nec ratio; noſtri æui dum præſtolatur in OPALENSCIIS dignitas. Ergo quidquid

quid

quid in Vetuſtatis Pario marmore ſpectatis gloriæ Palatinorum Poſnaniæ, diſcite mortales hîc in compendio. Diſcite IACOBO de Bnin anno 60. ſupra 1200. tantò glorioſiùs oblatum honorem hunc, quantò meritis primis magis commendatus primus. IOANNEM de Bnin eundē in eodem cum IACOBO honore vel indè adores Polonia hodie, quòd quoties IOANNES Tibi eligis in Reges eligis in Senatores, toties Pax de Cælo orta Tibi, quia GRATIAS eligis an Gratioſos. MATHIAM de Bnin ſi virtus, ſi merita inſeruêre Palatinis, inſeruêre Senatoribus? bene: ſi non obruendam taciturnitate meretur gloriam in Sago in Toga ex vtroq; Magno Maximus? apprime: inde tamen Cedrinos ſibi erexit Coloſſos vnde Taxos, vnde Cupreſſos ſibi cernens attolli, hæreditaria bona, Bonus in Monarcham Senator æterno iure inſcripſit Monarchæ, vt Vſcie, vt Pila, vt Moſina Regiæ cederet poteſtati. Hic apex honoris Palatinarûs Poſnanienſis Bninſciorum, OPALENScijs hîc debitus, niſi cæteros inclinaſſet ijs, ſiue tenax, ſiue non integer foret. Ergo Digniſsimo Tuo Patri PETRO de Bnin OPALENSKI meritò, vbi meritis, ſternitur in ſummas dignitates curſus. Podlachiæ primò, breui Caliſij Palatinatus, ante Dapifero Regni, ante Succamerario Poſnanienſi Caliſienſiq; ante Odolanouienſi Capitaneo, confertur. Ita concatenata Arcadio nexu munia Regni vni cedunt PETRO, quia dum PETRVS ſit, pectus ſuum Patriæ mænia fecit, vbi inſultante Rebus Lechicis Holſaticâ belluâ ſolus Magnus Maiorem tuitus eſt Poloniam, vt inde diſceret Patria; noſceret Polonia, Petro vuam non labruſcam fuiſſe mille obijci periculis, mille pati incōmoda, mille ſubire neces, modò inde melior affulſiſſet Patriæ Phæbus, intonſuſq; Cynthius candidiores Poloniæ diſtendiſſet crines. Atq; vtinam ſæua Proſerpina necdum uertice crinem abſtuliſſet! Vtinam omnipotens Iuno Irim hucuſq; non demiſiſſet Olympo! vtinam longiora nexuiſſent alba fila Nigræ Deæ Senato-

nato-

natori Polono? vidisses Orbis, jam in honorum centro quem videras, honores ipsos breui transcendentem: sed inimica fata vitã ei, Nobis Senatorem, non ei gloriam, non ei æternum detraxistis Nomen: Tibi Noster Optime SENATOR Terram, Te Terræ, Tibi Senatum, Te Senatui reliquit, eò ipso carus omnib⁹, quòd prospexerat ne in Senatu desideraretur. Equidem Genitori iure succedit Genitus, Patri PETRO succedit filius JOANNES, ita siue GRATIA in PETRA, siue PETRA in GRATIA perennat, dum & cælestis GRATIA PETRAM elegit sibi, vt perennaret: PETRVS GRATIæ sociatus, vt viveret. Succedit par meritis Patri filius, eò impar, eò minor, quòd filius. Patri Calissiensi Palatino, succedit filius eiusdem Senator, Podlachiæ imminet Cuiauiensis. Te loquor, qui ora nostra in fletum transmutasti, verba in singvltus, lachrymas in atramenrum, Nos in Nioben: Te Magne etiam in minimo cinere, Auguste etiam in Angusto tumulo JOANNES OPALENSKI Brestensis Cuiauiensis Palatine, GENERALIS Maioris Poloniæ. Fundite lachrymas non Præficæ, date singultus non Crocodili, ast flete Heracliti: & in Tumba tamen honores adorate. Hic Odolanouiensis, Cuninensis, Medirecensis Capitaneus. Hic Succamerarius Posnaniensis, trinum gerit Palatinum Inowlodislauiensem, Calissiensem, Brestensemq; vt in terno beatus vitam tandem demutaret. Occidisti intra Regni viscera, infra vitæ Horizontem, cuius tamen Nomen, non ignis, non crudum ferrum, non edax senium abolebit: nec saxis ipsis reformatis longa senecta nocebit: cætera inflexibili saxo, proteruis incisa lapidibus, canæ simul subiecta uetustati, simul hianti obnoxia ruinæ: ast sacratæ Numini Tuâ munificentiâ ædes, non ætas corrodet, non auarum deglutiet tempus, sæcula videbunt, ipsamq; æternitatem instruent perennare.

Sed pertinuit adhuc in maius Domûs OPALENIæ Senatorij honoris argumentum, vt Castellanorum ce-

deret ei dignitas, & cesſit cui Maiores ceſſerant, tantò cum luxurioſiori Senatûs decore, quãtò digniori cesſit. Quoties Poſnanienſis ſine Senatore Caſtellanatus de Ordine exulat, toties plerumq; OPALENSCIOS optabat ſibi Caſtellanos, expectabat. ANDREæ de Bnin primò hîc donatur tantò ancipiti magis dubio, ipſi ne an meritis eius? quantò feruentiora in dies pro Senatu, pro Patria agebat vota. ſic certè virtutis honor merces, & igneorum pro bono Aquilæ votorum, præmium dignitas. Aſcendit de Gneſnenſi in Poſnanienſem Caſtellanatum PETRVS de Bnin. cui non hic niſi Maior ſemper debetur, vel ideò vt Bninſciorum, quòd OPALENII, virtus Magna in Ordine inferiori, major in ſummo exurgat. Simul Patrem Themide iudice ac filium, in Tuum glorioſi Ingresſûs triumphum, juuat hodie à ferali eruere taciturnitate, vtroſq; Caſtellanos. ANDREã Camenenſẽ PETRVM Landensẽ, hunc Atauũ Tuum illũ Atauui Patrẽ. Vt porrò floreſcẽs pampinus ramum, pubeſcens hic ſtipitem, idẽ radices veneratur: Vt Ocean⁹ aquarum riuulos, hi fontem Principium ſui tenent: radijs lux, radij ſoli debent honorẽ: æquâ methodo OPALENSCIORVM Domûs primos Principes, nouâ Metamorphoſi Auguſtam de BNIN Familiam in Perauguſtam OPALENIORVM transformantes. vnâ Tecum proni adoramus. Fundite gloriam, quiqui OPALENSCIOS agitis Veſtræ Domûs nouis Pyrrhis, & ſoluite gratæ mnemoſynon memoriæ: debet his vterq; vtriſq; Caſtellanatus generoſo ac Senatorio animo erectus æuiternum ſolium, debetis vnâ vos non fatalem calamum, quos in tanta ſæculorum rabie, hi perennes reddiderunt. Quem Te hîc PETRE OPALENSKI Vaſto deprædicem Orbi? ſi SIGISMVNDI AVGVSTI Succamerarium? infra honorem Tuum, infra Te eſt, cui maiora debentur. Si Cyneam Polonum ad Auguſtisſimum Imperatorem Chriſtianiſsimum, ad Othomanicum quoq; ? Tuum licet ſit, non tamen Tuum, qui in maiora natus. Si

Attalum

Attalum Lechicum? Aſiaticus ille Auſoniæ gēti ipſas obtulit gazas Indici Arabumq; theſauri, Tu Sereniſsimo AVGVSTO, cùm (dempto Auri Argentiue pretio) inſignibus ceſsiſti diuitijs, hoc ipſo ſupergreſſus eum, animam etiam in bonum Regiæ Majeſtatis oblaturus. Hæc Veſtra Tuaq; MAGNE hodie GENERALIS gloria, Patriæ Senatorem, Regum agere Zopiros. Sed venerer Te vt loci huius maxima Gneſnenſem Caſtellanū, cui quidquid immortalitatis metitur, totum Magnum: id nihiloſecius ſufficiat Tibi, Te Senatorem quia Caſtellanum fuiſſe. Atq; hactenus LVBRANSCIANæ Muſæ Tui Ingreſſûs pediſequæ: jam nunc agāt à latere comites, vbi vel maximè LVBRANSCIANā Pinū in OPALENIANæ Argonauis excreuiſſe malum, experiuntur. hactenus cùm OPALENSCIOS nunc & LVBRANSCIOS coronarunt, vbi MATHIAM OPALENSKI Abauū Tuū LVBRANSCIANVM Godziemba ſuæ inſeruiſſe Navi, dum Matrimonio junxiſſe ſibi HEDVIGEM LVBRANSKA, diſcunt; vt ſic hac Amitâ, iterumq; Matre LVBRANSKA, Patre IOANNE, Orbine Vniuerſo an Polono tantùm? magiſne Patriæ peroptandū an hoſtibus metuendum IOANNEM OPALENSKI Caſtellanum Santocenſem, Capitaneum Pobiedzicēſem, vnâ nobiſcum Lubranſciano-Academicis celebrarent laudibus. Felix tanto Senatore Senatus! quem cum matura ætate cana extulit in gloriam Catonis eruditio, felix hoc filio Patria! quem Atlantem labenti, Lycurgum ſtanti vidiſtis Poloni, ſago fulmen Togæ lumen minitantem. Felix Santocenſis Caſtellanatus ſuo Caſtellano! non alium habiturus gratiorem, quàm IOANNEM: cui dum immites ac pallidæ ſtryges igneam inviſêre lucentis Phæbi faciem, & in triſtes impulerāt ſarcophagi vmbras, JOANNI JOANNES ſuccede fili tantò olim celebrior Rogozinenſis Caſtellane, Capitanee Pobiedzicenſis, quantò magis Nomen Tuum inter hodiernas tenebras ſplendidius, cui ſuam beatitudinem vel ex eo Sieracouienſis debet ſchola, quòd in OPA-

LEN-

LENSCIORVM liberaliſsimam Nauim vbi bona hæc pro-
uoluta, etiam hæc pullulauit. Aſcende in Triumphũ
Nepotis Magne Heros Polone LVCA OPALENSKI, ubi
GENERALATVM Poſnanienſem hodie Tuus aſcendit Ne-
pos. Hæc Tui gloria, ſummos qui vinciebas Tibi Re-
ipubl: honores, dum ſpiraſti, nunc in poſteris non mi-
nores capere, dum reſpiraſti. Aſt Tuus & inde Maior
applauſus Hodie Triumphator, quòd talem meruiſti
habere Auum, quem ſummæ Reip: Noſtræ petierunt
dignitates. Cedent hæ ingreſſui Tuo in applauſum,
vbi primò Poſnanienſis Caſtellanus veneretur. Luce
nullis obfuſcatâ vmbris Jlluſtriſsimi LVCÆ irradiata
Aquila Lechica, & irretortâ eandem intuita pupillâ,
non patitur hanc in abdito deliteſcere, cui Auguſta
cùm debentur, parantur. Huic ergo Orbis Poloni Sũ-
mus Mars, Hoſtium fulmen SIGISMVNDVS III. Rex No-
ſter tantò proniori calculo Poſnanienſem conceſsit
Caſtellanatum, quantò magis viri Auctoritas, virtus,
expetiuêre, ne Orbis miraculum, in Orbis natum glo-
riã, ſileret, non in Senatoria peroraret curuli. Quidni
Purpurati Senatûs Auctoritas Tuam ambiat Majeſta-
tem Magne Caſtellane, cui, quidquid ante meruêre
alij, totum vni debetur. Inciſor primò Regni Virtu
Tua meruit intitulari, vt ſic vel quoſuis alijs obſtante
ſibi recideret obices in honorum Augem, uel Digniſ
ſimo vt Fratri Tuo PETRO Inciſori Inciſor, Capita
neo Gneſnenſi, Nakielcenſi, Roatinenſi, Wolpinenſ
ſuccederes Frater. Mox Mareſchalcus Curiæ Regn
creatus, ſtrauiſti meritis Tibi iter, quo in excelſa aſcẽ
ditur. ita honoribus his noui honores intermixti, inui
cem petunt magnum coronare animum, coronare &
Caput, cui Capitaneatus Lezaiſcenſis, Sremenſis, Va
lecenſis, Odolanouienſis, Loſicenſis, Colcenſis, Rubie
ſzouienſis, Vſcienſis, Pilecenſiſq; in ſummum vel ideo
æquo ceſſere paſſu, quia Magno Supremoq; non Curiæ
jam, dum Regni Mareſchalco: vt quæ olim Claua Pa

ternos

ternos sui Genitoris, ANDREÆ de Bnin OPALENSKI Mareſchalci Supremi Regni, Capitanei Sremenſis, Nakielſcenſis, Gneſnenſis, Colcenſis, Roatinenſis, Lezaiſcenſis, Miroslauienſiſq; Maioris Poloniæ GENERALIS. Proaui Tui Hodierne GENERALIS, ornauerat manus, eadem Tuas Magne LVCA cohoneſtaret. Deuoluta hæc quondam in manus, ſed niſi non ex Vtroq;, ex omni ſatius Magni Parentis ANDREÆ. Si prudentiam ſpectes? Cato fuerat. ſi in rebus omnimodam perſpicacitatem? Argus. Si conſiliorum calculos penſites? Conſus. Si Sagum, ſi Togam cogitaueris? hic non minùs alter clauâ Hercules, quàm voto fulminans in hoſtium turmas Pericles. Debes Polonia SIGISMVNDO III æternum Regi Tuo honorem, hic ANDREæ Mareſchalco: Trabeam coronatam meruit ille, ſed niſi vt electus ſic in Metropolim Poloniæ Cracouiā reductus per ANDREAM: qui niſi in motu Regni Regnum tenuiſſet Atlas, fractū illaberetur. Regia SIGISMVNDI AVGVSTI Poloniarum Regis Majeſtas quo de latere Minòé magis ſtas? ſi non ANDREA noſtro. HENRICI, ſceptra Lechica tantò præcociùs abijcientis quantò ardentiùs electi, hucuſque Throni quis ſuſtentator? ſi non ANDREAS. STEPHANI Corona, Supremi Poloniæ Vngariæq; Monarchæ quo nitidior? ſi non Clauâ Mareſchalci ANDREæ. Terror hoſtivm SIGISMVNDVS cur fulmen caſtrorum? cur Suetico ceſsit Polonia Principi? Cineres auguſti aſcendant thronum, & adorabunt ANDREAM. Non Liſimachus coronâ ſuperbiat, vel quòd aureâ, vel ALEXANDRI quòd coronetur manu. non Zelislaus agat gaudia, de fauore Criuouſti in amiſſæ pretiū manûs auream quòd accipiat: his beatior noſter Sarmata ANDREAS meruit quatuor Regum vinciri fauore, qui omnium deuinxit ſibi animos: ita dignus Curiâ, dignus amoris Regij occidit, ſed niſi meritis vt onuſtus, ſic honore Regni grauatus; cui dum parabantur Maximi, Maximis Filijs, Maximis Nepotibus cedere maluit, quàm vitæ tē-

 pus

pus longius concedere, nec dum licet vel Naturæ fatis, qui 54. ætatis anno Martis mense mortis obijt decretum, vel gloriæ, cui major debebatur; satis vixit: & quòd maximum, Patriæ certè parum.

Hæc Senatorij Ordinis in OPALENSCIIS dignitas, hæ Episcopales tiaræ, hæ Palatinorum Castellanorumq; curules, non hæ tamen solæ, quibus tot Regni honores præiuêre: vt Senatoriæ Majestati & Abbatialia peda, & Mareschalcorum Curiæ Regniq; Clauæ, & Succamerariorum & Legatorum, & Capitaneatûs dignitates litarent vota, nisi vel ideò magis vt in Magnis maiores veneremur. Cessit non honori modò solius ANDREÆ OPALENSKI Aui Tui Magne GENERALIS, quia totius Domûs, Tuæ Secretariatus Magnus Regni, vt sic Ephestion hic Regni quòd apprime celasset secreta: in Episcopatum tandem citiùs ascenderet Posnaniensem. Cessit Dapiferiatus Regni, ast nisi OPALENIO, nisi Podlachiæ Calissijq; Palatino Patri Tuo PETRO OPALENSKI, quem dum Palatinum adoraui, nunc Dapifero ei lito Harpocratem. Cessit dignitas Incisoris Regni, cedoq; & ego Nomini, cedo eius gloriæ, quē Tui Dignissimum noui Auum PETRVM de Bnin OPALENSKI Capitaneū Gnesnēsē, Nakielscensē, Rohatinensē, Volpinensē: cui quò feralior 34. ætatis ann°, eò Regno acrior Lechico, eò Serenissimæ Majestati SIGISMVNDI III. acerbior, cui cùm immensæ nectebantur dignitates, ecce ferocia fata cæcos obijcientia sepulchri thronos, in tumbam coëgerunt. O cruda fatorū vis & immitis Necessitas! vbiq; semperq; immanes, in viris Magnis adoriendis inde multò sæuiores, quòd Magna in Magnis contenditis. o infanda rabies! o insanæ mentes! in Regni Nostri squalorem ciere tam pronæ lachrymas, quàm fulminatrices radios ocyus Diespiter patitur in Gigantes jaculari. Cessit Posnaniensis Succamerariatus honori ne an oneri, magis tamen Voto quàm confluxu Ciuium ANDREÆ OPALENSKI Di-

gnissi-

gniſsimo Tuo Patruo, qui ceſſerat & Fratri Jlluſtriſsimo JOANNI. vt ſic nullus vel in Patria foret, vel inter Ciues Regni honos, qui non ANDREIS, non PETRIS, nō IOANNIBVS cedēret, quia OPALENSCIIS.

Sed quem hodie felici pede, fortunato paſſu, ſereniori ſolo, ſecundis aſcendis auibus honorem Majoris Poloniæ GENERALATVS, nouus dubio forſan OPALENIIS meritis? & quibus tot in Regno Noſtro ceſsêre dignitates, hæ de recenti Tibi primo Magne SENATOR, an pijſsimæ memoriæ FRATRI Tuo oblatus? exules hinc rabioſa Erinnis, & Magne Domui furibunda deſine conuitiari Alecto: non latrans Zoile Theoninū acuas dentem vel hoc ſolo Naui huic rabioſus vt noceas Cinegiris. Quartum jam currit ſæculum exquo hodierna dignitas OPALENIO debetur ſanguini, & quæ primò PETRO de Bnin in gloriam ceſſerat, quæ MATHIÆ de Bnin Senatoriæ curuli, quia Palatino Poſnanienſi in maius abijt decus, quæ ANDREÆ OPALENSKI Mareſchalco Supremo Regni, tot tantorumq; Capitaneatum Domino Proauo Tuo ceſſerat, quæ Jlluſtriſsimum IOANNEM Fratrem Tuum etiam in ſqualidis tenebris radiare fecit, eadem tantò æquiùs Tuam properauit in gloriam, quantò Te illâ digniorem Virum omni Virtute Magnum, Meritis Majorem SERENISSIMI JOANNIS III. Regis Noſtri duxit GRATIA.

Hæc ſunt decora Magnæ Domûs Tuæ ſemper Auguſtæ, nunquam tamen magis, quàm dum in ſummis Rei Polonæ honoribus, Jlluſtriſsime Domine. Hæc gloria gentis Lechicæ, tales eoſq; habere Senatores, qualibus quibuſue meliores cælum dare non facile poteſt. Nec Senatus ſine OPALENIO Senatore, nec Epiſcopalis Tiara abſq; OPALENIO Antiſtite, nec Mars ſine Hectore Domûs huius, nec quiuis honor Regni, qui OPALENIANAM dum ſtuperet virtutem; non in ejus properaret gloriam. Hucuſq; Diuinos Cineres in ſqualido ſarcophago quietos inquietauimus, vt modò ſic

quod

quod Historiographus loquetur calamus, etiam in virenti Lubransciana Pinûs folio perennaret. Quidquid hactenus Magno sanguini OPALENIO datum, Tuum, est Magne Vir, cuius cùm ingressui auspicato applaudit Posnaniensis Ciuitas, applaudit Major, tota immò Polonia, cùm luxuriosa gaudij vbertas, & exsuperantia votiui melos Teipsum cunctis venerandum facit, etiam Lubranscianam Scholam Tui ingressûs pedisequam reddit. Reddit hodie in Pyratico furore discerptæ non ita dudum Nauis reparandum damnum Nouum Virtute Veteri Polonâ redimitum Iasonem Te, Magnûm GENERALEM: vt qui dudum id vnus meruisti, quod cæteri prensabant, vnus præriperes, vel inde maximè quòd Tantorum luminum Patriæ nube tumuli feralis obuolutorum an non eclipsatorum, Tu vel primus vel summus solusue splendor Horizonti Sarmatico videris: vel quòd tantis natus Majoribus, nec minore Parente dignus honorari visûs es. Purpurata Nobilitas in Tuas sese effudit cunas, dum Purpuratæ Sapientiæ Matronâ Matreq; CATHARINA LESZCZYNSKA Procancellaride Regni Magnus prodis OPALENSKI. Et Diuinæ Philippides sese jungat familiæ, & cælesti Deorum sanguine Iulium ortum veneretur Roma, non vn⁹ tamen Caligula Numinum dum non meruit fauorē, calce Diiouis Saturnum cælo cedentem sequi cogetur, ac lapsum suum mæstus deflere. Tu ea natus Domo, quæ in Regno Sarmatico vel antiquitate anteeat cæteras, vel virtute cælos pertingat, vt quod fabuloso spiritu cōmentata est antiquitas, hoc Tuæ Domui veriùs debeatur, quā si non Numinum Cæli, Heroum sanè Martis decet venerari. Facem non pariendo modò etiam somniando infelix Hecuba, ab vnius ortu an partu totius Ilij pendet interritus, pendet Ilias. Tu dum Orbi non magis Polono quàm Europæo nasceris, vel inde fortunatas adnaturum se Insulas Te Hercule spes concipit, quòd Octauo Anni Mense à Martio salutaris A-

qui-

quilæ à Marte Pax, quia Octobri in Mundum ac carnem salutaris. Nasceris eo rerum Europæ tumultu, quo nihil salubre, nihil tutum, nisi à VLADISLAI Quarti Regis Nostri luxurioso Manipulo Poloniæ fertile. & Boëmia à Suecis oppressa dum gemit, & Hispania Cathaloniæ ac Lusitaniæ defectione dum infirma, in Tuo tunc ortu Polonia in felicitatis tuto respirat portu. Nasceris eo Sole, quo nihil quàm gelidus Aquilo Sarmaticæ oriebatur Aquilæ, vt ortu Tuo tumultuarios hostium combureres ausus, quia es OPALENSCIVS. & quâ die Natalitiorum Hadriani Imperatoris Ludi anniuersarij intonuerant, Tuæ prælusum immò lusum est Natiuitati. illuxit plerisq; quos & elusit crinitus Apollo, & Vrna sæpe nascentis Capricorni quibus obfuit, Roma oppressa silet: Tibi Nascenti cum Scorpione, vbi pacifica nec minùs beneuola illuxerunt fauerunt q; astra, inde palmas Tibi, Oliuas Patriæ nectere hostilia debuerunt castra, vt sic dum oriris, simul hostes adoriaris. Omnis rerum silet status, & luridæ tenebræ Polonum texêre Orbem dum Ortu Tuo Aquilam serenas Polonam: crassæ inhorruerunt in Hemisphærio Aquilonis nubes, Tu nasceris tunc, vt sic natus, Togatus tandē vmbras dispellendo sagi, Prætextam tecum pacis indueret Polonia.

Sed augustiori tandem iuuat applaudere felicitati Tuæ Sarmatia in hodierno PETRO, juuat nec minus majorem jam deferre Tibi gloriam Magne SENATOR. Ex quo per ætatis vigorem aptari obsequijs Reip: licuit Tuos actus, si etiam rigidissimo ventilet Cato supercilio, si Erinnys vel liuore vel malignitate innatâ & æstuet & ferueat, nullam Tibi prætermissam occasionē quâ ad Patriæ ac Regnantium obsequia Togatus vel Armatus non accurreres, recognoscet. Ea primò animo pensasti, vnde animi & perfectio & decus, illius propè modum, cui non intra angulares gaudium Lares, etiam exoticorum erudiri prudentiâ, dulce. Er-

go dilectus Patriæ filius, vt Ciuis doctior prodires, fluctus Tiberis Gentilitia ſcindis Naui, ac tot Regnorū, tot Ciuitatum, tot Regum oblatus conſpectui, in illa nitescentium ac pullulantium annorum modeſtia, Te jam Magnum illis præſentaueras, quos Magnos Orbis mirabatur: vt ſic diſceret Meridionalis feruor etiam Boream non ſemper frigeſcere, ſæpè igneis in Patriā in Eccleſiam ardet conatibus Septemtrio. Pleriq; ad Circes cyathos Magni conſilij Viri ſtatuuntur, vt tandē vbi Patriæ loquendum erit, grunniant ſolùm. Pleriq; dum gentes illas adeunt quæ Iberim vel Hydaſpem bibunt, virtutis nullius geruntamorem, Patriæ nec ſomnium charitatis habent; Tu etiam illic omni calcato luxu eum didiciſti ſeruare animum, qui vbiq; ſemper idem, nec Lycomedis ſiquidem inter filias Achilles effeminaretur. Effeminaretur inter Syrenum delicatas voces, ac blandum occinentis libidinis melos etiam Vlyſſes, & qui Scyllas Charybdeſq; Acroceraunia quoq; vicit, idem in ſcopulos tamen vltimæ perniciei impegiſſet, niſi Sinonis indutº prudentiam erro, omniquâ potuit ratione meliori contra ſtetiſſet. Tu intra feruētis Circuli igneos animos, vbi ferus Cupido ſemper ardentes acuit ſagittas, etiam cote cruentâ eum geſſiſti Te Virum etiam in floreſcentis ætatis pubeſcentibus annis, quem nihil delicatū comprimere poteſt, ni ſit Sardanapalus. Tu per ſuppoſitos cineri doloſo ignes inceſsiſti, nec combuſtus es; cùm Te eum cunctis oppoſuiſti, quem nihil calidum in callida immò feruenti ſole ardenti Regione ſibi devinxit. Atque quem hactenus in votis tulit, Te ſuum præſtolatur Patria; hucuſq; anxia, quem dimiſerat inuocat Aquila; de floreſcenti Galliarum Lilieto in ſpinoſum etſi, Tuum tamen, propera, quia Tuæ Aquilæ Nidum optate Ciuis. Feſtina de gratioſis limitum exterorum delitijs in moleſtos tandem Martis aculeos, Martis Poloni PETRI OPALENSKI Magne Fili PETRE. Non didicit alibi me-

bi meliùs generoſus ſpatiari animus, quàm inter arma: ſolius Alcinoi, ſolius Proſerpinæ floribus adeò recreari, vt in flore, quam in armis multi verentur, inueniant: in fructu, quam plurimi in vmbra perhorreſcunt, edant mortem. Ipſius Gentilitiæ Nauithalmi ea gloria, vt in dies quoſq; per cruentum Gradiui æquor currēs, ipſa cruentata portum Canariarum prehendat Inſularum. Ferant alij feroces ipſi tamen minimis muſcis cum Dioniſio enſes, hoc num tyroni præripient palmam, ſi penſes? non ſanè inuenies: vbi Muſcicolæ hi non Marticolæ ipſa verentur, horridi quia Dei, claſſica. Tu Magne Vir ex quo non minùs afflictæ quàm dolenti illuxiſti Patriæ, ex quo fortunatis Rei Polonæ publicæ redditus es auibus, non dulci fortuna ebrius, non ſuauibus delinitus nec ſoporatus delitijs, cùm turpis ex facili lecta corona jugo, ardua ſiquidē per præceps gloria vadit iter, aſt acerbioris Martis inſcriptus numero, eum Te commendaſti Heröem, quem & decebat, & habere expediebat. Quoties Mars arma virumq; caneret, quoties ſanguine ludens Bellona cruorem ſudantia expanderat tantùm vexilla, non tentoria, nunquā Te non primum Martialium licuit venerari, nunquam ad tonitrua belli impauidum, quem Polona & genuit & educauit Domus. Agam Harpocratem in cæteris, vbi hîc balbutientem licet Oratorem agam: tamen hîc in vltimo Athym, vbi me elingui peroraret Coſaticæ belluæ verecundia. Veniet tempus, quo poſteri viſere, viſendum tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores Tuos hauſerit campus? quæ refectiones Tuas arbores? quæ ſomnum ſaxa prætexerint, quod deniq; tectum Magnus hoſpes impleueris. Aggreditur, fugat, inſequitur, vincit immò arma ſpirantem an ignem ipſum ebullientem in Poloniam SERENISSIMVS PRINCEPS, etiam Magnâ comitante Polonia: cui tamen magis extollat cupreſſos, quàm efferatæ Coſaticæ rabiei: cui faces accendat triumphi, quàm OPALE-

NIO

NIO Tibi, non quisquam sanè meretur, nec sanè refragabitur. Te Heroë, quidquid tunc felicitatis inuenit Lechia, totũ inuenit Maior Polonia: illa & Tuâ & militum virtute inuenit portum, hæc Te ipso Hercule spem dubiam cæcamq; fortunam valere iussit, Tuâ dexteritate nacta certiorem.

Jn tanto iam furentis Cosaticæ nequitiei æstu, ubi, qui PETRVS es, instabili rem totam Polonam firmasti Petra pacis: Tibi tandem ipsi lætus Majestate Tuâ Hymæneus incendit lãpades, ignes tantò feruentiori ictu suscitat nuptiales, quãtò nobiliorem quia OPALENSKA etiam jungis Tibi Matrimonio LVDOVICAM. Credidissem tunc gratas Charites, charasq; Gratias Tuis allusisse Nuptijs, dum Petra Christum ferenti iungitur, quia PETRVS Tu CHRISTOPHORI OPALENSKI PALATINI POSNANIENSIS petis de nouo amorem, LVDOVICAM ejus Filiam. Vtinam verò mille votis expetitam PORCIAM non inuidisset Tibi hucusq; furens Proserpina! vtinã, fortunatum tantâ Parẽte, dum Magnæ spei Filium Tuum ADAMVM OPALENSKI veneramur, illi ipsi votis nostris hodie applauderemus! cui mæstâ voce serenã decuit pridem iuuatq; hodie optare sedem. Enimverò fatale Rei OPALENIæ ne omineris Delphice vates; nec volanti per spaciosum salum Bucentauro huic, insultantium remoræ dabunt quandoq; obicem, ne, non Cæsarem, Fortunam ipsam, Honores vexerit ipsos. Nec Przyiemscianæ Amazoni inficiantium ipsi non Fratrũ, obstantium quinimo quorumuis hostium perfidia struet in Triumphum stratagema, ne Vrsino-Rosina Virgo in summo triumphet, vbi Tu Magne OPALENSKI cordialissimum PRZYIEMSCIORVM Domûs Jllustrissimi ANDREÆ PRZYIEMSKI Vexilliferi Calissiensis pignus, quia Filiam CATHARINAM PRZYIEMSKA intimo Tuo & iunxisti & dilexisti animo. Rosis quondã pluerat Heliogabal⁹ inter assistentiũ & assidentiũ cibis thronos, sed vt parasitos opprimeret, sicq; animã efflarent. Nero fi-

stulis

ſtulis flores ſpargebat, vt biberet ſanguinem conuiuorum: Tibi pleniori manu Cælum melioribus non rorauit, grandinauit immò Roſis, nuptiali applaudens gaudio, vbi Gentilitias ROZRAŻEVIORVM Roſas in Tuam iecit Argo, dum eam Tuæ felicitati dederat in cōiugem CATHARINAM, quæ Nominis eiuſdem cum Jlluſtri Parente Tua de DORÕTHEÆ luxurianti floribus ſporta nouas Tuis diuitijs immiſcens Roſas, ſic & de Gentilitio VRSO in Tuam feſtinans NAVIM, ſe Patre de PRZYMIE felicem, Matre DOROTHEA de Rozrazow beatam, Te ſui Amico coniugali oſtenderet glorioſiorē. Vtinam verò in tanto felici ſanguinum nexu diutiùs fortunatæ Domus hæ perennēt! vtinā Illuſtriſsimæ Proſapiæ ſic ſereniores, nullis obfuſcētur atræ peruerſitatis vmbris! quibꝰ decet in dies nouos glorioſiùs reſplēdere.

Atô alludentia PETRO, ni illudentia Fata; ſiccine jam inter dulcia conſortum baſia ampliores non merebitur titulos? ſiccine Patriæ ſemper vtilis, non vtilis? abſit abſit: virtus cùm Magnorum non de facili inuenit ſibi ſedem, niſi excelſam, nec Tua his ſatiabitur, cui majora parantur. Sacratæ memoriæ Sereniſſimus Rex Noſter, Primus Regum MICHAEL, non gladio modò Martis verè MICHAEL, etiā Librâ, Tuos dum gladio inſignes ſtupet actus, noluit in ſtatera Libræ eos ponere, quibus de congruo ſtatim CAPITANEATVM conſignauit MEDIRECENSEM, altiori Te honori vt Magnum Virum admoturus, niſi in cæteris ſera, hîc præcocia Fata eum de Regali throno in ſepulchralem tumbam, à cumulis lætitiæ in tumulum mouiſſent. Felix Medirecenſis hoc Capitaneo Capitaneatus, non cui meliùs ceſſurus, quàm cuius virtutis, maiorem ei hodie gratulaturus dignitatem, agis Triumphum, agis & lætitiam. Aſcendis breui Beatus, quia Octauus in Senatum Palatinus: Senatoria curulis & Purpura Łenciciensis dignitatis, quem hactenus in votis habuit, ſuſcepit. ita cùm tot Digniſsimorum gloriæ Senatorius applaudit Ordo, OPALENIæ etiam Domui, ſemper candidum de

 hac

hac hauſerat conſilium, etiam interea ſolis idem experturus. Satyrâ non Panegyri digni Quirinalis Senatûs Proceres, quoties publicam loquerentur indemnitatem, toties clandeſtinò priuatâ ardebant ratione: & libertatis titulo ipſi illiberi, ſeruitutis mancipium ſibi, dum jugum parabant Patriæ. Cui Iambi, Tibi Magne SENATOR debentur Olympiadis gratiæ, qui luſtralem, tantò cum maiori Eccleſiæ, Patriæ, Rerumque Noſtrarum commodo, quantò feruentioribus præexpetitus votis, hucuſq; (vtinam in longæuum) agis Senatorem. Dicauit cælo Tiberius Auguſtum, ſed vt Majeſtatis numen induceret. Claudium Nero, ſed vt irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum, ſed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur. Te Sereniſsima Majeſtas Senatoribus intulit, quia Magnum credidit. Magnum equidem vbiq; ſi Senatum, ſi caſtra, ſi Tribunal ſpectes: Senatus Te Senatorem, Mars ſui Diomedem, ego Te interea Tribunalitiorum Regni Iudiciorum dum loquar Mareſchalcum, loquar ſimul Licurgum, ſimul Rhadamantum. Nolo ſcrupuloſum in Tuis his laudib⁹ bibere ſtylũ qui luxurioſus Tibi debetur, cuius ſcrupuloſa, quia iuſta decreta, uel ideò ceſſere hodie in Codices alijs, alijs in digeſta, quòd ipſam loquantur æquitatẽ. Nihil Magnorum tituli in lite cauſarum profecere, vbi Tu Magn⁹ eis arrectas dediſti aures. Nihil amicorũ diuturni conuẽtus ac ſtricta eorum Tecũ amicitia, vbi Tu ſummus Iudex cõſediſti. Nihil ejulat⁹ reorum, vt quærimonijs, ut lachrymis emollirent cor Tuũ, nihil aureus perorat Tulli⁹, vt Tibi fontium ſuaderet partes, vbi Tu æquus in medio Conſus videris. Vbiq; iuſtitiæ lex, æquitatis ſtatera, Iudicij norma, Delictorum amuſsis, Reorum lapis offenſionis, Inſontium Bonæ ſpei portus, Oppreſſorum fortunata ſedes, Afflictorum leuamẽ, qui antehac venerationi, nunc ceſsiſti admirationi. Verè tunc PETRVS clauibus non magis Pantheon reſerans iuſtitiæ, quàm Pauli gladio vitioſa aſſurgentis Hydræ comprimens ora.

Sed iam tempus eſt Te ipſi GENERALATVI præſtare,

vt majorem, cum ſuſcipiendo gerendoq;, facias. iam ſupereſt Te tot celebrẽ præconijs, grauatũ honoribus in publico geſtientium votorũ applauſu Maioris Poloniæ GENERALEM vt proni adoremus. iam Tibi uni cuncti, qui unus omnibꝰ datus. glorioſè vias patefaciunt, ac affectus, quia GENERALI. Ingrederis Maioris Poloniæ Metropolim non Minoris dignus Senator gubernatione, eo paſſu eo curſu: quo in ſummã honorum excellẽtiam licuit cuiquã ſerpere, Tibi præcurrere alios. Aſcẽdis in Poſnanienſe Capitolium Tu Summus Rerum Poſnanienſium arbiter, ipſe Auguſtus; ut Te tandem Principe, generalis Ciuitati de ſummo cæli egreſsio foret felicitatis, non magis Nomine quàm Re, qui es GENERALIS. Succedis glorioſè, qui, cùm ad Te Fortunæ ac Honoris huius nuntius venerat, malebas is eſſe qui fueras, ſed non erat liberũ. Succedis tot luminibꝰ Jlluſtriſsimæ Domûs ſuppar & gloriâ & claritas; vt ſic quidquid in Præantiquiſsimi Tui ſanguinis Heroibꝰ Palatinatuum Maioris Poloniæ GENERALIBVS Orbis ac Polonia adorauit quondã, id totum in Te vno hodie adoraret GENERALI. In uno Tui Nomine, in vnius Tuo triumpho hìc & PETRO; hìc MATTHIÆ, hìc Proauo ANDREÆ, hìc dulciſsimæ memoriæ Fratri Tuo IOANNI, GENERALIBVS adolemus hecatomben. Erro forſitan qui & erro ſum, eroq; vel in honore GENERALATûs nimis tenax, ſi Te Orbi Polono Quintum OPALENSCIVM publicem GENERALEM, quos plures certò quum debuit, etiã potuit, & vereri & venerari non Poſnania, etiã Polonia. Succedis Digniſſimus Senator Fratri Tuo Senatori, ut ſic quidquid labruſcæ feliſq; in eius exulatione amara hucuſq; ſenſerat Ciuitas, id totum dulcoraretur ipſi tandẽ, nouo imbuta ſuauiori nectare: vel ſic vt quidquid Gratiæ ac felicitatis in IOANNE exorſum eſt, in Te PETRO ſtabiliùs & firmaretur & conſiſteret in Petra; ſicq; noſceret quiſq; Fortunã Horizonti noſtro non aliunde exoriri, quàm quorſum elapſus honos, iterum illabitur. Succedis hodie Glorioſus Senator quondã GENERALI Maioris Poloniæ, Mareſchalco Curiæ Regni, nunc Auo Tuo Digniſ-

ſimo, dum Lectiſsimæ Conſortis Tuæ CATHARINæ PRZYIEMSKA Jlluſtriſsimo STANISLAO PRZYIEMSKI, ut ſic qui ſanguinis hauſiſti decº, idem honorum eius fieres æmulus. Ita bene cõueniunt, dum in vna ſede morantur, bene in vna ac glorioſè triumphant Majeſtate, cùm triumphant in amore OPALENSCIORVM ac PRZYIEMSCIORVM Domus, vt dum OPALENSCIO Tu Digniſsimus ſuccedis OPALENSKI, etiam Jlluſtriſsimam D. ZOPHIAM in Przyima PRZYIEMSKA Mœſtiſsimã Jlluſtriſsimi Fratris Conſortem, inter cumulos gloriæ nuper, nunc inter tumulos exanimatorũ GENERALIS, vnâ cum Dilectiſsimo Amoris Maritalis Corculo Tuo CATHARINA PRZYIEMSKA prona adoret Poſnania vtraſq; GENERALES. Felix ipſo arridente Sole Tui honoris Fama; his vel illis obſeratur ſacrata honoris ædes, Tibi aperitur in Aprili. CRESCENTIS Divæ illuxerat feria, ſimul creſcentis Nominis Tui in ſummum nouus eadem nuntius, dum creatum Poſnanienſi Ciuitati Te GENERALEM publicauit. Irreligioſa quæ dies planèq; feralis (ipſius Ephemeridis feralior) Eccleſiæ fuerat Catholicæ, quâ Proteſtantium in Fidem primò orbi innotuit perfidus zelus; iam tunc renata, vbi præcoci Mercurio Tuum Nomen in GENERALIS acclamatum eſt dignitatem: vt ſi ludis Cerealibus eadẽ felix, fieret felicior nouâ tot Magnorum Ciuium Magno Senatori honoris apprecatione. Sereniſsimus Planetarum Rex vix Maioris Poloniæ Gentilitium Zodiaci ingreditur ſignum Bouis de Ariete: ſimul Sereniſsimus Poloniarum Rex Nominis claritate, geſtorum ſplendore ſemper clariſsimus, idem Veſtrum intuens Aſtrum Poloni, tunc bene rebus omnium prouiſurum ſe duxit, quum de Ariete, quia tunc de Minore Polonia Tibi eum liberâ voce, ducibus meritis trãſmiſit honorẽ, qui niſi OPALENSCIIS debetur, ex quo Æripedes quondam Tauri adamantæis Vulcanum naribus in Colchide efflarunt, vt ſic Bos cæli Gentilitius: Maioris Poloniæ igne arderet in hoſtes OPALENIO. In geminis domina Cynthia, dum Geminos Vos IOANNEM Petrumue

Orbis

Orbis hic venerari illum deſijt, cùm hunc cæpit. Iam de cæli medio, de Regia domo Sereniſsimus inflexerat Piròéntē Phæbus, quum votis omniū præexpectatus nouus ſalutabaris Princeps; quin ſic Tibi locum, Tibi Domū Maximæ in Maiori Polonia cederet dignitatis. Ducite ergo tot ſtimulis excitati Ciues nouos in Aprili triumphos, auguſtiores in Iunium aptetis. Aptetis, inſtruite & arcus honoris celſiſsimos ad primum Portarū Gētilitiarum ingreſſum eius, quē cordib⁹ ſuſpiraſtis. Det antiquitas vmbroſam pōpoſo Mercurio hac lucēte Lunâ gloriā, eius Nomini ſimul honori Iunij decidat honorē. Noſtrâ intereſt Tibi hodie meliori parte, meliori litare Mercurio aras, vt ſi priſcorum triumphi eò celebres ducantur, quòd ab Auguſtis, Auguſti Menſes, à Iulijs Iulij voluantur: à Te etiam Triumphante in Iunio degeneret Iunius in OPALENIVM. Aſcēderat non ita dudum in ſublime excellentis honoris Summus Aſtrorum Planeta Sol, dum in Cancrum: hoc vel ſolo in excellenti inſimus, in honore confuſus, quòd, vbi primū attigit ſummā Augem, protinus ima petere cogatur: vt tamen Regium Rex inſcenderet ſignum Leonis, ſicq; in domo ſua ſuperbiret. Aſcendis Tu nunquam tamen retrogradienti paſſu in ſublimem dignitatis Augē, vt tamen, non (ſaxoſam hîc imitetur lingua Nioben) inferiùs, ſuperiùs immo meritis id poſcentibus aſcendas, ſic in Leone, quia in Sereniſsimo Regum omniū Rege, Fidei Chriſtianæ Novo Protectore IOANNE III. ſecurè reſpiraturus. Nec Tuum generoſum animum etiā glorioſum Triumphum Claritas Cynthiæ Cæli horrendis hodie obuoluenda breui vmbris terreat, vbi pro Te PETRO Diui diei huius IOANNES ac PAVLVS, alter vt Domini diſcipulus, vt VAS gentium alter, pugnent ſintq; ſolliciti. Alijs in ſqualidam noctem cedant hæ triſtes plorantis Iſidis tenebræ, Tibi in Noua auſpicia, in nouas felicitates proluſit Augur Aſtrologus, ſiue Nocte hodierna in atro Lunæ lucentis luctu ac eclipſi, triſtior quòd Thracicæ paretur Lunæ defectus, vel quòd

non PETROS, Othomanos ſatiùs eius adoriantur radij: illorum Gladius, horum Cynthia gentilitiũ quòd inſigne ſit. Et jam Magnum Nomen OPALENSCIORVM hodie beatum ſuſcipe perennaturæ felicitatis omen: Infer jam Maxime SENATOR hærentem in Portis Poſnanienſibus Tui Ingreſſûs Pompam ad Majorum Tuorum ac GENERALIVM ſedẽ. Ingredere aſpirante Zephiro ac fauentib⁹ Cælis eam quam tot præuijs meruiſti dignitatem meritis: greſſus hi in excellentiã hodierni triũphi non terminus, gradus tamen dignitatis erunt. Inſcende theatrum meritorum Tuorũ, virtus namq; Tua dudum ideo patefecit illud, vt hodie reſeratum inuenires cãpum triumphandi. Iam Te ſuum non modò ardenti ardebat Aquila Polona animo, quem ferventem boni publici Catonem toties in Senatu, toties in Marte Herculem, in judicijs toties Licurgum ſpectabat, quẽ expectabat, vt tandem in Te nouo honore redimito glorioſiùs triumpharet. Iam Te dudum Major Polonia in ſummo adorabat cardine dignitatis, eo ſolo felix, quòd Te ſuum tandem meruit ſalutare GENERALEM. Iam Ciuitas Poſnanienſis non hodie modò OPALENIÆ Naui Vartam juratum faſſa, etiam animos ſuos in lætitiam liquefieri fecit, ut beatiùs quàm Antonij claſſis in amore Cleopatræ nataret æuiternè: Iam tandem Lubranſciana Schola profuſiſſimi beneficij Illuſtriſſimæ Familiæ centrum, ſuam Pinum tantò glorioſiori methodo Tibi in Triumphi, non Arcus ſuperbos, aſt in viam ſternit, quantò minùs lauru olfacientis adulationis indigeas: vbi nec frigida Arctos Lechica delicatas nutrire didicit arbores. Suſcipe Magne Triumphator OPALENSKI vota pallantis per vicos Vrbis turbæ: non enim ætas quemquam, non fracta valetudo, nec imbellis ſexus retardauit, quominùs oculos majeſtuoſo ſpectaculo ingreſſûs Tui impleret. Anguſtos vicos auguſtos tamen in occurſu Tuo videmus; tecta ſpectatorum numero laborantia, ſuſpenſos de corde animos, de feneſtris Te inſpiciendi ſalutandi ſimul oculos cernimus. Suſcipe geminatos affectus noſtros AVE & VIVE, ſic in animis ciuium beate perennaturus. Æquaſti honores vnus omnium OPALENSCIORVM, dum Atauorum Proauorum, Parentis, Fratriſq; Tui, vtinam annos etiam eorum Vincas Pylius, atq; adeò

PETRVS in æternum VIVAS
GENERALIS.



